Memoria
Dulcissimi, nunc desideratissimi Parentis;
VIRI
VENERANDI RELIGIOSISSIMI ATQVE CLARISSIMI,

DN. GUDBRANDI JONÆ,

ECCLESIÆ VATNZFIORDINÆ IN ISLANDIA PASTORIS VIGILANTISSIMI;
Vicinarumq; Præpositi meritissimi,
placidissimâ analysi; Anno M DC XC. die V. Octobris piè defuncti;

Imprimatur,
C. BARTHOLIN.

tenui sed piâ Elegiâ pro modulo renovata
à filio
VIGFUSO GUDBRANDI.



Sumite Pegasidum, feralia plectra camoenæ
In lacrymas abeat, qvod fuit ante melos,
Ponite nunc laurum, funebrem ferte cupressum,
Conveniens vestris luctibus illa foret.
Cymbala nunc sileant, nunc Barbytos omnis abesto.
Calliope at mœstis carmina pange modis.
Pectora cara mihi, carissima pectora Phœbo
Auricomo; mœstos ingeminate modos.
Ingeminate Sonos tristes ac lumine tristi,
Flete novos casus, qvos pia cura movet,
Arte laboratas vestes, auroq; rigentes
Ponite; nam properans causa doloris adest,
Funereos habitus, largoq; fluentia fletu
Pallia; mox Lachesis sumere læva jubet.
Eheu! qvam fragili dependent omnia filo:
Nos sumus objecti, casibus innummeris.
Ros abit, aura fugit: fugit irrevocabile tempus,
Talis vita hominum: taliter omnis abit.
Vitam qvid seqvitur? mors: mortem? funera: qvid tum?
Vitam ineunt sancti; qvæ sine fine manet.
Vitam iniit nuper GUDBRANDUS fine carentem,
Qui magnæ matri reddidit ossa suæ.
In lacrymas dolor ire jubet mihi perfida fata,
Partem animæ rapitis, dimidiumq; mei.
Carus erat pater, atq; mihi devinctus amore,
Tempore longinqvo, proh dolor ossa tenet!
Quid doleo? genitor carnis compage solutus
Post mundi sordes regna beata tenes.
Nos mala fallacis patimur ludibria mundi.
Te tenet excelsi Regia celsa Dei.
Nostra per altisonas jactatur cymba procellas,
Nescia qvo timidam, pontus & aura vocet.
In placidum portum tua nunc onerosa carina,
Evasit Scopulos, & vada magna maris.
Nostros ante oculos errant mortalia mœstos,
Cœlicolûm cernis cominus ore choros.
Ad Patriam varios proficisci cogimur omnes,
Per casus; patriæ nunc colis arva tuæ.
Siste metum genitrix; fratres caræq; sorores,
Sic visum est superis, solvite corde metum
Quid fles cara parens? vectum super astra maritum
Quid te tantus habet noctè dieq; dolor?
Cur nunc effuso Lacrymarum flumine vultum
Nubilat æterni turba sacrata Dei?
Non est (vera loqvor) mors hæc aut funus acerbum,
Sed Lucrum, placidus somnus & alma qvies.
Tempus erit, qvo nos melior Dea cœca reviset,
Auspiciis lætis; & meliora dabit.
Tempus adest, qvo nos fato poscente seqvamur,
Ignari nobis qvid vehat alma dies.
Sentit in excelso mens patris gaudia olympo,
Nec volet hoc iterum corpore posse tegi.
Corpus humo positum, sinuosâ aliqvando resurget,
Candidius gemmis, solis & instar erit.
Sic dabitur nostris, defunctum cernere ocellis,
Gaudentem aspectu colloqvioq; Dei.
Felix, ô nimium felix qvî numine dextro,
Ipsius in portu libera vela trahit
Felix, ter nimium felix qvi funere tali,
Æterna in Domino luce beatus ovat.
Faxit id & numen cum spiritus ossa reliqvit;
Sic etiam nobis molliter ossa cubent.
Fac simul Angelici, stipent mea terga ministri,
Ante oculos cum stat mortis imago meos.
Te propiore frui: cupio, speroq; JEHOVA
Est ludus, luctus, fabula, vita mea,
Christus vita mihi reputatur, mors mihi lucrum,
Morte sua mortem qvi superavit ovans.
Sic veniat mors dura licet non horreo mortem,
Lætatus moriar, mors mihi somnus erit.

HAFNIÆ,
Typis CHRISTIANI WERINGII Acad. Typogr. 1690.